

taliū. Ideoque de his alibi. Nunc quod instat, quoniam quidem longè dispar vis est, in his enim neque portendens, neque mirabile quicquam inest, nisi quatenus humana iustitia, quibusdam mota successibus, & fine rerum ad principium relato, praeostensum aliquid cœpit opinari, non prius ab initio intellectum, quam exitus comprobasset, & se tractu temporum, eō peruentum, & ipsis etiam primordiis, vel rerum vel verborum mortalis curiositas inhiaret: Error hinc omnium ortus est, qui magnos homines inuoluit.

## OMEN.

**E**X hoc genere est, ut iam ad exempla eveniam, post captam à Senonibus Gallicis, exustamque urbem Romanam, hæsi-tantibus an relicto natali solo, sedes Imperij transferrent, an vero patriæ ruinas erigerent: Dum hæc res fortè in Senatu alternantibus consiliis agitatur, contigit, ut Centurio cohortis è præsidio redeun-tis, alta voce signiferum compellans di-ceret: Statue signum, hic optimè manebi-mus: Non dubitant huic voci stabilita-rem Imperij acceptam referre: Quia qui-dem ad Senatus aures perlata, accipere se om̄en ait, ita tot dissidentium patrum